Sub Obitum Viri Spectatissimi,

GEORGII JAMESONI,

ABREDONENSIS,

Pictoris Eminentissimi,

Lachrymæ.

GEntis Apollo suæ fuit ut Buchananus, Apelles
Solus eras Patriæ sic, JAMESONE, tuæ.
Rara avis in nostris oris: Tibi mille colores,
Ora tibi soli pingere viva datum.
At Te nulla manus poterit sat pingere; nempe
Lampada cui tradas nulla reperta manus.
Quin si forte tuas vatum quis carmine laudes
Tentet, id ingenii vim superabit opus.
Quicquid erit, salve pictorum gloria, salve:
Æternumque vale Phosphore Scotigenum:
Phosphore, namque tua ars tenebris prius obsita cæcis,
Fors nitidum cernet Te præeunte diem.

Tumulus Ejusdem.

COnditur hic tumulo JAMESONUS Pictor, & una
Cum Domino jacet hic Ars quoque tecta suo.
Hujus ni renovent cineres Phœnicis Apellem;
Inque urna hac coeant Ortus & Interitus.

Ejusdem Encomium meritissimum.

SI pietas prudens, pia si prudentia, vitæ
Si probitas, omni si sine labe fides;
Partaque si graphio Magnatum gratia, dotes
Nobilis ingenii siquid honoris habent;
Si nitor in pretio est morum cultusque decori,
Et tenuem prompta sæpe levasse manu;
Æmula si Belgis Italisve peritia dextræ
Artifici laudem conciliare queat:
Omne tulit punctum JAMESONUS, Zeuxe vel ipso
Teste; vel hoc majus Græcia si quid habet.

Amoris indissolubilis ergo
DAVID WEDDERBURNUS.

****

Ad Exemplar ABREDONIÆ Impressum per *Edwardum Rabanum,* 1644.

